



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XXIX. De Fratre Poppone Secundo Magistro terrae Pruschia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Hermannus de Saltza IV. Magister Ord. Teut. General.

Hermannus de Balke I. Mag. Prov. in Prusia.

Ordinis illius admitteretur. Tractum est negotium illud per ali-
quod tempus, donec Volqvinus in prælio à barbaris occisus esset.
Non destitit tamen conjunctionem hanc Ordinum urgere Alber-
tus Episc. Rigenensis, svasoribus & adjutoribus Engelberto & Theo-
dorico Tisenhusis Episcopi cognatis. Tandem An. 1234. ut vult
Bangertus, vel An. 1238. ut vult Schuzius noster, non à Conrado
V. Ord. Teuton. Magistro Generali, ut putat Bangertus, sed ab
Hermano à Salza referente Dusburgio, recepti sunt Ensiferi in
Ordinem Teutonicum. Reliqua pete ex Dusburgio. Ex illo tem-
pore Magistri Livonici cum fratribus suis, Magistro Generali Ord.
Teutonici in Prussia fuerunt subiecti, usqve ad Albertum Marchio-
nem Brandenburgensem Magistrum Ordinis ultimum, qui jugum
Polonicum excusurus, ne nervus rerum gerendarum deficeret, ac-
ceptâ à Walthero Plettenbergio Magistro Livoniæ Provinciali cer-
tâ pecuniaë summâ, Fratres Livonicos planè ab imperio Ordinis
Teutonici Anno 1513. liberavit, Vid. David Chyträus in *Saxonia*.

CAP. XXIX.

De

Fratre Poppone Secundo Magistro terra Pruschia.

FR. (a) Poppo de Osterna Magister terræ Pruschia secundus
præfuit VII. annis & resignans officium suum ad partes Teu-
toniæ est reversus, & non longè post in Magistrum generalem
electus.

ANIMADVERSIO.

AD CAP. XXIX.

(a) Ut ex Dusburgio appetat, Poppo de Osterna Magistratu hoc fun-
ctus est vivente adhuc Hermanno de Saltza Magistro Generali.
Conf. infra cap. XXXIII. Sed si Grunovium consulamus, tradit ille
Popponem misum esse ab Henrico Comite de Hohenloë Magi-
stro

CHRONICI PRUSSIÆ.

Hermannus de Saltza IV. Ord. Teut. Magister Gener.

Hermannus de Balke I. Magister Provincialis Prussiae.

stro generali post fata Hermanni de Saltza. Et certè licet Grunovio in annis computandis non ubique licuerit esse accurato, cum in antiquis Chronicis, quibus ipse usus est, numeri fuerint varie corrupti, (quapropter etiam errores in numeris commissos ipse deprecatur *in prefat. Chronicis sui*,) in hoc tamen mihi non videatur errare. Cognoscimus hoc ex Privilegio primo Civitatis Elbingensis Anno 1246, ab Henrico C. de Hoeloe, quem tamen Dusburgius noster prorsus omittit, concesso: Subscriptio dicti Privilegii ita se habet: *Fr. Henricus de Hoenlob Hospitalis S. Mariae Teutonicorum Hierusalem Minister humilis &c.* Inter testes Privilegio huic nomina sua apposuerunt: Fr. Heidenticus honorab. Ordinis Prædicatorum Culmensis Episcopus, Frater Albertus Ord. minorum. Frater Poppe Magister Prussiæ, Henricus Marschalculus &c. Conf. hic Index Magistrorum generalium & Provinciarium, ut & notæ ad Vitam Conradi Landgr. Hassia. Jeroschinus Popponem hunc dicit fuisse satis laudabilem fol. 46. Recentiora autem Chronicæ Apostasiæ Prussorum ejus levitatem & iniquitatem tribuunt, ut ad cap. XXXII. dicetur.

CAP. XXX.

De

Vario defectu fratrum & Christiani
fidelium in Pruschia.

IN primitivo fratres & alii Christi fideles in terra Pruschiæ multiplicem & incredibilem defectum passi sunt in cibo & potu & vestitu & aliis vitæ humanæ necessariis, si ipsi forte aliquos agros colere volebant, hoc fieri non potuit, nisi noctis tempore, & quid ipsi seminaverunt cum magno periculo & labore, alii introeuentes labores ipsorum metebant, & ecce mira gratia Dei fuit in eis. Ipsi enim ducebant pro deliciis, cum talia pro Christi nomine paterentur, aut & si haberent calicem salutiferæ passionis.

P 3

CAP.

